

ἢ γὰρ εὐσέβεια συνδνήσκει βροτοῖς
καὶ ζῶσι, καὶ θάνωσιν, ὅσα δὲ πόλλυται.

De cetero itidem sentit cum *Augustino*, qui (*lib. de Ordine*) scripsit:
Eruditio disciplinarum liberalium modesta sanè atq; succincta & alacriores & perseverantiores & comtiores exhibet amatores amplectenda veritati, ut & ardentius appetant, & constantius insequantur, & inhereant postremò dulcius. Philosophia namq; est donum Dei altissimi, non verò paralogismi illi *πιθανολογίας & κενὴ ἀπάτη*, de quibus loquitur *Paulus* (*Coloss. II, v. 4. & 8.*) quasq; alibi (*I. Tim. VI, 20.*) appellat *τὰς βεβήλας κενοφωσίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψωδωνύμου γνώσεως.* Sana sanè *Philosophia & sobria* numquam erit ebria. *Philosophus* fallit, *Philosophia* non fallit, neq; *Philosophia* errat (sic enim lumen rationis vacillaret) sed *sophista*, qui sibi ἀσφάλειαν arrogat, qui suam unius auctoritatem reliquorum rectè sentientium fundamentis opponit. Ita enim hodie pleriq; philosophantur, ut, dum neq; *Aristoteli*, neq; *Galeno*, neque *filio Rōis* sese ad credendum obstrictos dictitant, suæ interea auctoritatis larvâ ceteros terrere nituntur. “Quanquam bonorum
“auctoritas (iterum scribit *Augustinus lib. II. de Ordin. c. 9.*) imperitæ
“multitudini videatur esse salubrior, ratio verò aptior eruditis: ta-
“men quia nullus hominum, nisi ex imperito, peritus fit, nullus au-
“tem imperitus novit, qualem se debeat præbere docentibus, &
“quali vitâ esse docilis possit, evenit, ut omnibus bona, magna &
“occulta discere cupientibus non aperiatur, nisi auctoritas, januam,
“Quam quisque egressus sine ullâ dubitatione vitæ optimæ præce-
“pta sectatur, per quæ cum docilis factus fuerit, tum demum discet
“& quantâ ratione prædita sint ea ipsa, quæ secutus est ante ratio-
“nem, & quid sit ipsa ratio, quam post auctoritatis cunabula firmus
“& idoneus jam sequitur & comprehendit. Neutrum aut deseret
aut abjiciet *CRAMERUS* noster, sed *fratres* quoque & *pa-
trueles* attendet, quos si imitabitur, *illustris*, si su-
perabit, *illustrior* erit futurus.

